

Alia pars.

Captum est et expresse declaratum, per formam capitulorum promissionis serenissimi principis, quantum numerum familiae habere et tenere continue debeat ejus sublimitas, et quod salarium dare unicuique eorum, quae quidem capitula potius indigent executione, quam reformatione. Propterea vadit pars, quod post mortem serenissimi principis tribus nobilibus eligendis, juxta formam partis hodie captae, dicta capitula specialiter commissa sint, et ante omnia per eos exequi et expediri debeant, absque alio consilio, si per iudices et magistratus, quibus in praesentiarum commissa sunt, exposita antea non fuissent. Addatur insuper et statuatur, quod quandoque dominus dux, ob infirmitatem, seu ob aliam causam personae suae, non potest interesse solemnitatibus et aliis diebus, quibus necessarium est Dominio exire palatium, familia domini ducis futuri teneatur associare Dominium, eo modo et ordine quo facere tenetur, quando dominus dux praesentialiter interest; et hoc idem facere teneantur, quociens Dominium nostrum proficiscatur et recedit a majori consilio, sicut ante hac fieri solitum erat.

Et a l'incontro sier Hironimo da cha' da Pexaro e sier Marco Antonio Morexipi, el cavalier, consieri, volunt partem lectam, cum hac additione, quod committantur tribus inquisitoribus hodie eligendis executio partis praedictae circa familiam serenissimi principis praeteriti; et quia aliqui ex domicelis et familiaribus serenitatis suae post ipsius obitum licet habere deberent bonam quantitatem pecuniarum pro eorum salario, tamen ab affinibus serenissimi principis diversis artibus reducti fuerunt ad parum aut nihil, captum sit, quod omnibus de dicta familia et aliis qui habere deberent integre persolvatur tota illa quantitas, quam constabunt legitime habere debere, non obstante aliqua compositione quam quomodocumque fecissent. Demum quia intelligitur aliquos ex familia domini ducis, qui habere debebant salarium ordinarium per formam promissionis excellentiae suae, non habuisse aliquid, aut minimum quid, ex eo, quod habuerunt officia aut beneficia per medium aut intercessionem suae serenitatis, captum sit, quod salarium dictorum qui habuissent officia et beneficia et non habuissent salarium suum exigi debeat a tribus inquisitoribus eligendis et ponantur in Dominium nostrum.

Alia pars.

57

Quod capitulo 95 promissionis, prohibente domino duci, quod non possit exire ducatum Venetiarum nisi de voluntate minoris et maioris consilii, addatur: quod aliquis dux noster de caetero exire nequeat contra continentiam capituli praedicti sub poena ducatorum mille auri, exigenda immediate ab eo per advocatores communis, qui, si non fecerint, cadant ipsi ad poenam ducatorum 100 auri pro quolibet. Quae quidem ambae poene post mortem ducis exigantur a tribus eligendis, juxta formam partis hodie captae, si ante exactae non fuissent. De parte.....

Alia pars.

Danda est sufficiens et ampla facultas tribus eligendis post mortem ducis, ita ut satisfacere possint exigentiae, et desiderio status nostri, quam ob rem vadit pars: quod, ultra libertatem datam per partem hodie captam dictis tribus eligendis, quae extendatur in omnibus capitulis iam deliberatis et quae hodie deliberabuntur, eis etiam, committatur quod audire debeant omnes conquerentes de serenissimo principe et ab eo aut a suis habere pretendentes quaecumque de causa secuta post ingressum suum in ducatum, et similiter inquirere possint et debeant, si ad officium camerariorum communis, arsenatus, bladorum, salis, lignorum, rationum veterum, daci, vini, ternariae, ac quaecumque alia officia et cameras civitatum nostrarum, aut a communibus civitatum et territoriorum aliquid aliquo modo extortum aut indebite acceptum fuisset, sive per serenissimum principem, sive per aliquem ex suis, specificatis in partibus captis; et habeant praedicti tres eandem libertatem, circa satisfactionem praedictorum, quam habent advocatores communis, aut alii secundum formam capitulorum promissionis. In reliquis vero facere debeant sententias suas cum omnibus modis et conditionibus captis. Demum inquirere similiter possint et debeant tres supradicti, si aliqua fraus commissa fuisset in daciis nostris tam intus quam extra Venetiis, cum modis et conditionibus suprascriptis. Insuper captum sit et expresse committatur camerariis communis sub poena ducatorum 500, pro qualibet vice, si contrafecerint, quod pecunias salarii serenissimi principis solvere non possint nisi in monetis auri et argenti currentibus absque damno Domini nostri. Quod quidem salarium mittere non possint nisi in sachetis de tela, sicut consuetum erat, et non